

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Christophori Cellarii Compendium Antiquitatum
Romanorum**

Cellarius, Christoph

Halae Magdeburgicae, 1774

VD18 10161015

Sect. V. De Iure Provinciarum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17085

lici, quod arguit, vel mutatam fuisse Caracallæ constitutionem, vel a quibusdam non acceptum illud Antonini privilegium, contentis veteri, quo utebantur, iure Italiæ, quod immunitatem dabat, suffragia negabat & honores in vrbe capiendos.

SECT. V.

DE IVRE PROVINCIVM.

CAP. I.

DE ADPELLATIONE PROVINCIVM.

§. I.

A vincendo dicuntur provinciæ, quia bello ad-
quisitæ erant, siue, vt FESTVS loquitur, e po-
pulo romano provinciæ, id est, ante victæ. p)

§. II.

p) ISIDORVS orig. lib. XIV. cap. 5: *provincia ex causa, inquit, vocabulum acceperunt. Principatus namque gentium, quæ ad alios reges pertinebant, quum in ius suum Romani vincendo redigerent, procul positas regiones provincias adpellarunt.* Conditio eorum ex iure provinciali, quod alias *forma & formula provincie* dicitur, æstimanda est. Quum vero leges provinciarum, a senatu, postquam imperator eas subegerat, promulgatæ, iniquiores ac duriores fuerunt, quam quæ Latio atque Italiæ datæ erant; facile ex eo patet, earum quoque statum deteriorem ac miseriorem fuisse, quam Latino- rum atque Itolorum. Provinciarum omnium ratio in eo conueniebat, vt non suis, sed Romanis legibus ac magistratibus vterentur, & vectigalia pendere deberent: conf. CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. provinc. lib. I. cap. I.* GUID. PANCIROLLVS *notit. dignit. imper.*

§. II.

Erant autem prouinciæ omnes extra Italiam; nisi quod Gallia cisalpina, siue circumpadana, ante
Au-

*per. orient. cap. XCIX. 10. GOTTL. HEINECCIUS
Sunt. ant. Rom. iurisprud. illustrant. p. 365. seq. Ad le-
ges quod attinet, quæ victo populo præscribebantur,
illæ triplicis generis erant. Primum enim ipse impera-
tor a senatu Romano, postquam litteras de superatis ho-
stibus ad eum dederat, decem senatores legatos accipie-
bat, quibus in consilium adhibitis, certas victæ genti
leges publice proposuit, vt LIVIVS lib. XXXIII. cap.
18. & APPIANVS Libyc. p. 84. testes sunt. Deinde
sæpe novas leges Romani sanciebant, easque & a pro-
uinciis seruari volebant, quemadmodum de lege Iulia
& Titia constat. His denique accedebant edicta pro-
consulum, quippe qui, quum in prouincias proficisce-
rentur, noua edicta promulgare atque ita componere
solebant, vt partem illorum ex antecessoris edictis su-
merent, partem nouam ipsi adderent, & quædam urba-
norum in sua transferrent prouincialia edicta. Videat-
ur CICERO lib. V. ad Attic. ep. 21. lib. VI. ep. 1.
lib. III. ad famil. ep. 8. & ex recentioribus CAROL.
SIGONIVS de ant. iur. prouinc. lib. II. cap. 5. &
EZECH. SPANHEMIVS orb. Rom. exercit. II. cap. 8.
p. 182. Ad magistratus prouinciarum quod spectat,
supra iam obseruavi, aliam sub libera & aliam sub ex-
stincta republica eorum faciem exstitisse: temporibus
liberæ reipublicæ præfides & quæstores missos esse, illos-
que vel prætores, vel consules exstitisse; a quo autem
cæsarum a senatu proconsules, ab imperatoribus au-
tem præfides, procuratores, legatos, correctores cet.
prouinciis præfectos fuisse. Denique prouinciæ etiam
tributa soluere Romanis debebant; vbi tamen obser-
uandum est, hos victis populis annum stipendium ac
tributum imposuisse, aut agros omnes ademisse, qui
in*

Augusti tempora etiam in prouinciis fuit censa, ut clarissime patet ex CÆSARIS *civili bello* & ex CICERONIS *Philippicis* & *epistolis lib. X. & XI.*

CAP. II.

DE ADMINISTRATIONE
PROVINCIA RV M.

§. I.

ADMINISTRATIO prouinciarum primum *prætoribus* committebatur, quos *propratores* etiam dicebant; deinde *proconsulibus* quoque, quorum dignitas & prouincia maior erat, quam prætorum: LIVIVS *lib. XXII. cap. 27.* & CICERO *Philipp. XI. cap. 12.*

§. II.

Quoniam autem inæquales erant prouinciæ, & vna opimior, quam altera, forte distribuebantur ad

in publicum reipublicæ patrimonium redigi, a nouis colonis occupari, aut victis ea conditione reddi solebant, ut ex eorum prouentu partem respublica acciperet. Atque hi *vectigales*, illi vero *tributarii* adpellati sunt. Vectigales ex agris suis *decumas*, ex pascuis *scripturas*, ex portibus, per quos merces vehebantur, *portoria* soluebant; quæ fusius illustrarunt FLAVIVS BLONDVS *Rom. triumphant. p. 106.* IVL. CÆS. BVLENGERVS *de vectigal. cap. IX.* CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. ciu. Rom. lib. I. cap. 16.* PETR. BURMANNVS *de vectigal. pop. Rom. p. 2. seq.* Apud quem Romæ, post eiectos reges, potestas fuerit, vectigalia instituendi, non facile definiri potest, quoniam veterum testimonia hac de re diuersa sunt; probabile tamen est, ad senatum hoc ius pertinuisse. Sub imperatoribus fere omnia, quæ de prouinciis dixi, inuersa sunt.

ad contentionem excludendam: CICERO *lib. I. ep. 9. num. 74. & lib. VIII. ep. 8. num. 21.* Interdum sine fortitione de illis conueniebat inter præfides, quod *parare* prouincias, vel *comparare* dicebant: CICE-RO *lib. I. epist. 9. num. 74. & LIVIVS lib. XXXII. cap. 8. & lib. XXXVIII. cap. 33.*

§. III.

In prouincia præfides omnia agebant more romano, forum instituentes in præcipuis urbibus: CICERO *lib. III. ep. 6. num. 8. & lib. V. ad Attic. ep. ultima.* Vocabant etiam *conuentus iuridicos*, quorum plures erant in vna prouincia: PLINIVS *lib. III. cap. 1. 2. 3.* Habebant secum etiam cauffi-
dicos romanos, qualis erat Trebatius apud Cæsa-rem in Gallia, ad quem exstant CICERONIS *epi-
stolæ libr. VII.*

C A P. III.

DE DIVISIONE PROVINCiarVM.

§. I.

PROVINCIAE aliæ erant *prætoriae*, aliæ *consula-
res*, q) quas *proconsulares* etiam dicebant, &
rursus

q) Non tamen existimandum est, quod aliæ prouinciæ
semper prætoriae, aliæ vero semper consulares fuerint.
Nomina enim pro eorum, qui eas regebant, statu mu-
tabantur, ita, vt, si missus prætor erat, *prætoriae*, si
consul, *consulares* adpellatæ sint. Exemplo Macedonia
esse potest, quæ tamdiu consularis prouincia erat,
quamdiu Cn. Dolabella, C. Curio; M. Lucullus, L.
Torquatus & C. Antonius, viri consulares, eam ad-
ministrarunt; quum vero Cn. Octavius, prætorius,

rurfus aliæ *præfidentales*, quæ accedebant sub cæſaribus, pro difcrimine magiftratum, qui ad eas regendas a ſenatu vel principe mittebantur: CICERO *lib. VIII. ep. 8. num. 21. Phil. I. cap. 8.* & SEXTVS RVFVS *cap. IV. & V.*

§. II.

Sed & alia prouinciarum diuifio ac diuerſa pro diuerſis temporibus obſeruanda eſt. Alia enim ratio fuit liberæ reipublicæ ante Auguſtum cæſarem; alia ſub Auguſto & deinceps, quum Claudius præcipue ac Traianus aliquid adieciffent: alia etiam ſub Diocletiano, Constantino ac ſequentibus, utpote qui nouis ſubdiuifionibus multiplicarunt prouincias. Et Iuſtinianus aliquid mutauit, circa quæ tempora illæ diuifiones ortæ videntur, quæ in eccleſiaſticis occurrunt. Quod ut eo fiat clarius, exemplis quibusdam demonſtrandum eſt.

§. III.

Inde a Punicis bellis Hiſpania diuiſa erat in *citeriorem & vteriorem*, quod LIVIVS docet *lib. XXXII. cap. 28.* & CICERO *pro leg. Man. cap. 12.* Auguſtus autem cæſar tres fecit Hiſpanias: *Tarraconenſem*, quæ fere citerior fuerat, *Beticam & Luſitaniam*: STRABO *lib. XVII. p. 840.* & DIO *lib. LIII. p. 503.*

§. IV.

Gallia olim in tranſalpinam & ciſalpinam diuiſa fuit. CICERO *cap. XLI. pro Mur. & cap. XII. pro*

ſuccederet, tum ea ex prouincia conſulari prætoria facta eſt.

pro leg. Man. *Cisalpinam* autem pars erat Italiae. r) *Transalpina* etiam *comata* s) dicebatur, & pars Alpibus atque Italiae propior *braccata*; *cisalpinam* autem *togata* post sociale bellum: DIO lib. XLVI. p. 326. & PLINIUS lib. III. cap. 4. *Transalpina* Ciceroni quoque *ulterior* Gallia vocatur, siue *ultima*, & *cisalpinam* *citerior* in Phil. VII. cap. I. & de prou. conf. cap. XV.

§. V.

Julius Cæsar *transalpinam* in tres partes diuisit, *celticam*, *aquitanicam* & *belgicam*, pars autem, a Romanis iam olim obtenta, κατ' ἐξοχήν dicebatur *prouincia*. Vide eius de bell. gall. lib. I. cap. I. num. I.

§. VI.

Augustus cæsar quatuor constituit partes, prolatas etiam terminis Iulii: *Narbonensem*, *lugdunensem*, *aquitanicam* & *belgicam*. STRABO lib. IV. p. 177. In *belgica* autem postmodum duas ad Rhenum fecit *prouincias*, adpellauitque *Germaniam superiorem* &

X 2

in-

r) Galliam *cisalpinam* antiquissimis temporibus Umbri & Hetrusci tenuerunt; qui postea autem a Gallis *transalpinis* sede sua sunt expulsi. Circa annum DXXX, hanc Italiae partem *prouinciam* factam esse, ex eo colligendum est, quod post hunc annum coloniae plures in illam deductae sint: vid. PAVLL. MANVTIVM de legibus cap. X. & auctorem nostrum notit. orb. antiqu. tom. I. p. 631.

s) Vocabatur *comata*, quoniam, ut DIO CASSIVS lib. XLVI. p. 326. refert, Galli isti comam gesserunt oblongam, eoque habitu sese a reliquis distinxerunt. Mentionem huius Galliae *comatae* CATVLLVS carm. XXIX. v. 3. & LVCANVS lib. I. v. 442. faciunt,

inferiorem, quia germanicæ gentes in illas regiones traductæ fuerant. Vtramque dixerunt vno nomine *Germaniam cisrhenanam*, respectu Romanorum, vt tamen vtraque sic prouincia manserit pars *Gallia belgica*. DIO lib. LIII. p. 503. & TACITVS lib. IV. *annal. cap. 73. num. 1.*

§. VII.

Tandem Diocletiani & Constantini tempore, quum nouæ vbique subdiuisiones fierent, vel sola Gallia XIV. prouincias accepit. Vid. SEXTVS RVFVS *cap. VI.*

§. VIII.

In Græcia etiam prouinciæ pro temporibus aliter atque aliter sunt distributæ. Olim erat *Græcia libera* distincta ab regnis *Macedonia* & *Epiri*. Post bella Romanorum Macedonica & Achaicum Romani duas ex vniuersa Græcia prouincias fecerunt: *Macedoniam*, quæ per proconsules regebatur, & *Achaicam*, qua omnis Græcia libera continebatur, id est, Achaia propria, Peloponnesus, Attica, Bœotia, Locris, Phocis, Ætolia, Acarnania, & pars Epiri. t) Et hæc Græciæ diuisio valet etiam in nouo testamento, vt *Act. XIX. v. 21. Rom. XV. v. 26. 1 Theff. I. v. 7.* & de Achaia sola, *2 Cor. I, v. 1.*

§. IX.

In Asia citeriore, u) quanta Romanis paruit, pro-

t) Conferas CLAVD. SALMASIVM *exercit. Plinian. tom. I. p. 568.* & GEORG. RAPHELIVM *adnotat. in nou. testam. ex Polybio p. 480.*

u) Lege ONVPHR. PANVINIVM *de imper. Rom. tom. I. thes.*

prouinciæ erant *Asia propria*, siue *κατ' ἐξοχήν* *Asia* dicta, hoc est, regnum Attalorum, quemadmodum id nomen ita acceptum habemus *Act. II. v. 9.* & *Apoc. I. v. 4.* & *II.* item *Bithynia*, quæ aliquando proconsules habuit: etiam prætores siue proprætores, qualis Plinius minor erat consulari potestate, uti ex eius *lib. 10. ep. 77.* nostrisque ad eam *notis* constat: & *Cilicia*, prouincia proconsularis, cuius proconsul ipse Cicero fuit, & cui adiectæ tum erant tres ex *Asia* diœceses, in veteri Phrygia maiori sitæ, quemadmodum ex *lib. III. ep. 8. num. 15. lib. XIII. ep. 67. num. 1.* & aliis utriusque huius *libri epistolis* discimus.

§. X.

Syria etiam prouincia Romanorum fuit, cuius multa mentio est in *CICERONIS epistolis*, & quam *Lucas* quoque memorat *cap. II. v. 1.*

§. XI.

De Iudæa prouincia operæ quoque pretium est, hic ex historia antiqua aliquid repetere. Nimirum illa regnum Archelai fuit, quem *Matthæus* nominat *cap. II. v. 22.* nec vero amplior; quam Iudæa propria & regio Samaritana, quoniam Galilæa & Peræa a tetrarchis regebantur. Eius autem præfides Pilatus, Festus, Felix, neque proconsules fuerunt, neque prætores, sed, ut, a *TACITO lib. XII.*

X 3

annal.

thes. ant. Rom. Græuii p. 398. & notit. dign. imper. orient. cap. CII. præ ceteris autem *CAROL. SIGONIUM de ant. iur. prouinc. lib. I. cap. 10. p. 72.*

annal. cap. 54. num. 6. & lib. XV. cap. 44. num. 4. denominantur, procuratores cesaris.

§. XII.

Ad illustrandum præsens argumentum faciunt etiam illæ provinciæ, quas imperatores quidam addiderunt. Augustus adiecit Pannonias, Ægyptum, Noricum, Rhætiam, Vindeliciam, Germanias, id est, Germaniam cisrhenanam in solo gallico sitam, & alias. *DIO lib. XLIX. p. 413. & 414. lib. LIV. p. 534. & 536. lib. LIII. p. 503. SEXTVS RVFVS cap. VII. SVETONIVS in Augusto cap. XVIII. & XXI. Claudius Britanniam & Mauritanias: EVTROPIVS lib. VII. cap. 8. num. 3. & DIO lib. LX. p. 670. 671. Traianus Daciam, Assyriam, Arabiam & plures: EVTROPIVS lib. VIII. cap. 2. Quasdam ex his remisit Adrianus: Daciam Aurelianus. EVTROPIVS lib. VIII. cap. 3. num. 3. & lib. IX. cap. 9. num. 10. Et sic fere mansit vsque ad Dioclerianum & Constantinum, & tum numerus provinciarum per novas subdiuisiones mire auctus fuit. Vide *SEXTVM RVFVM cap. IV. seq. LACTANTIUM de mort. persecut. cap. VII. num. 4. & ZOSIMVM lib. II. cap. 33. x)**

§. XIII.

x) Possem hic non solum ea, quæ de provinciis Romanorum auctor noster commentatus est, fastius explicare, sed etiam ab ipso omissas vel solum nominatas provincias, ipsam videlicet Italiam, Siciliam, Sardiniam, Corsicam, Illyricum, Cyprum, Africam, Numidiam, Mauritaniam, & quæ sub imperatoribus accesserunt, Rhætiam, Noricum, Pannoniam, Moesiam, Daciam, Bri-

§. XIII.

Tandem & illa prouinciarum diuisio commemoranda est, quam Augustus nouo modo instituit, vt & odium regni euitaret, & tamen summam potentiam teneret cum exercitibus. Pacatas enim, nec indigas præsidii reliquit senatui & populo, quæ veteri more per proconsules & prætores cum quæstoribus administrabantur; limitaneas autem & alias, quibus opus erat militari præsidio, sibi reseruauit. Et hæ dicebantur *prouincie cæsaris*, vel *principis*, quemadmodum is, qui pro cæsare regebat eas, non proconsul, nec prætor; sed legatus principis, vel cæsaris appellatus fuit. Pro quæstoribus autem erant ibi *procuratores cæsaris*, qui redditus curabant, nisi quod in minoribus prouinciis, vt Iudæa erat, etiam iurisdictionem habebant.

Britanniam, Aegyptum, Galatiam, Rhodum, Lyciam, Arabiam, Mesopotamiam, Armeniam, cet. illustrare, ac monstrare, quo statu ante Romanos fuerint: quas societates cum iis isti inierint: quæ bella gesserint: quomodo in potestatem Romanam venerint, & quibus legibus ac conditionibus pacis vsi fuerint; nisi hoc nimis ab instituto meo remotum esse arbitrarer.

SECT. II.

DE LEGIBVS ROMANORVM.

CAP. I.

DE LEGIBVS GENERATIM.

§. I.

MAGNA amplitudo vocabuli *legis* est, & latinis auctoribus varia significat. Proprie dicta lex,

parti assignatae sint. Fuit id in capite fori, sub Capitolio, vt ex CICERONE *lib. V. in Verr. cap. 30.* & LIVIO *lib. I. cap. 33.* & vestigiis latomiarum, quae adhuc Romae exstant, liquet. Ab eo carcere alius, in nona regione prope Marcelli theatrum situs, distingui debet, auctore PLINIO *lib. VII. cap. 36. & 59.* Praeter haec, Romae ergastula, tam publica, quam privata fuerunt, quae omnia vberius monstravi *diff. de vinculis Paulli ex antiquitatum profanarum monumentis illustratis.*

II) *Custodia militaris*; qua rei non in carcere servabantur, sed militibus custodiendi tradebantur. Fuit haec custodia pro delicti ratione mox lenior, quando sine catenis miles reum servabat; mox durior, quum dextra illius cum sinistra militis per catenam coniuncta esset. Saepe tutioris custodiae causa noxio duo milites additi sunt, quae omnia fuse probarunt BARN. BRISSONIVS *de formul. lib. V. p. 473.* IVST. LIPSIUS *excurs. in Tacit. p. 187. ed. Paris.* IAC. LECTIVS *ad Modestin. de pœn. tom. I. thes. iur. Rom. Euer. Ortonis p. 151.* CORNEL. VAN BYNCKERSHOECK *obs. iur. p. 17.* LAVR. RAMIRESIVS *DE PRADO pentecontarch. cap. V. p. 35.* alique plures, quos memorata *de vinculis Paulli dissertazione p. 39.* excitavi.

III) *Custodia apud magistratus*, qua adusati, nobiliores potissimum, vbi crimen nondum confessi erant, con-